

Christianus Pietsch professor Monasteriensis christifidelis catholicus  
ad anniversarium Litterarum Apostolicarum  
quae verbis *Traditionis Custodes* incipiunt  
Francisco sanctae Romanae ecclesiae pontifici maximo  
humiliter in Christo salutem

**L**acrimis cordis innumerabilibus permultos accepisse litteras Apostolicas quas Vesta Sanctitas superioris anni mense Iulio motu proprio sub titulo *Traditionis Custodes* promulgavit pro certo habendum est. ibi enim Benedicti XVI papae cui successisti litteras Apostolicas motu proprio datas quae *Summorum Pontificum* dicuntur sustulisti quibus Benedictus ille antiquioris ritus missam sub Paulo VI pontifice paene omnino suppressam post prima S. Ioannis Pauli II initia iterum in libertatem vindicaverat, et recte quidem. omnem namque usum ecclesiasticum quem traditionis apostolicae partem esse omnes consentiunt, neque vetari neque abrogari nec etiam ullo modo impediri vel restringi licet, ut ipse explicat Benedictus. cui autem morum ecclesiasticorum magis competit illius priscae traditionis participem esse quam his venerandis missarum sollemnibus quae iam in S. Gregorii magni papae diebus circa annum sescentesimum p. Chr. n. ex formis etiam prioris aetatis collecta et edita esse constat? inde ab illo tempore catholica ecclesia per hanc ritus formam Deum *ex toto corde et in tota anima et in tota mente* (Mt 22,37; Lc 10,27) venerari solebat.

plus mille annis post S. Gregorium Sacrum Concilium Tridentinum missale Romanum paucis admodum additamentis deformatum mundavit atque iterum *ad pristinam missale ipsum sanctorum patrum normam ac ritum* restituit (Pius V, *quo primum*) cuius auctoritate Pius V papa omnes graviter admonuit ut observarent, *ne in posterum perpetuis futuris temporibus ... missa alias quam juxta missalis a nobis editi formulam decantetur aut recitetur* (*ibid.*). et paulo post *neve*, inquit, *praesules, administratores, canonici, capellani et alii quocumque nomine nuncupati presbyteri saeculares aut cuiusvis ordinis regulares ad missam aliter quam a nobis statutum est celebrandam teneantur: neque ad missale hoc immutandum a quolibet cogi et compelli, praesentesve litterae ullo unquam tempore revocari, aut moderari possint, sed firmae semper et validae in suo exsistant robore, similiter statuimus et declaramus.*

hanc ergo missae formam vel potius totum ritum Romanum sicut a primis ecclesiae temporibus traditus est et ecclesia Romana usque ad hodiernum diem fidelissime servavit Concilio Tridentino adhortante Pius V papa summa vi omnibus posterioribus temporibus ita servandum tradidit, mandavit, praescripsit ut in perpetuum mutari vel etiam abrogari nequeat. itaque Benedictus papa ille cum *missae sacrificium iuxta editionem typicam missalis Romani a B. Ioanne XXIII anno 1962 promulgatam et numquam abrogatam celebrare licere* fortissime asseveravit (*Summorum pontificum*, Art. 1) plane nihil novi docuit sed id tantum confirmavit quod semper valebat, valet, valebit.

his dictis unicuique concludendum est haec missarum sollemnia a patribus tradita inseparabilem esse traditionis apostolicae partem sine qua traditio stare non potest. sine traditione autem ecclesia non est ecclesia sed hominum conventus ecclesiae nomen usurpans. ut autem omnes qui ritum veterem servant veri sunt traditionis custodes ita quicumque hunc

ritum impedire conantur schismatice consistunt extra traditionem eoque ipso *extra ecclesiam* ubi *nulla salus est* (S. Cyprianus, *ep.* 73, 21). quod Vestra Sanctitas promissa predecessoris vi iuris data contra ecclesiae usum solvit quid est aliud quam bellum indicere iis qui matri ecclesiae, omnibus eius praepositis et praesertim Vestrae atque eorum qui tibi inde a Paulo VI praecesserunt auctoritati piissimi omnium adhaerere, morigerari, oboedire solebant? plurimos enim veteris missalis amatores novum missale post Sacrosanctum Concilium Vaticanum II promulgatum numquam abiciebant sed semper confirmabant sive id aliis catholicis saltem concedentes sive ipsi alterna vice ambarum unius ritus formarum participantes. quamquam enim luce clarus est Sacrosancti Concilii Vaticani II patres novum missae ordinem vel aliquid simile nullo modo voluisse, sed cautissimam tantummodo rituum emendationem postulasse *probe servata eorum substantia* (*Sacrosanctum Concilium* Art. 50), ideoque veteris missae usus secundum veram Sacrosancti Concilii Vaticani II auctoritatem vera missae Romanae forma est, tamen usus antiquioris amatores libertate celebrandi a Benedicto concessa semper cum aliis christifidelibus catholicis in gratia esse studebant. nunc autem sublata Benedicti lege et destructa traditione pax inter catholicos tollitur, concordia in discordiam vertitur, via pacis nec non ecclesiasticae unitatis summa olim prudentia inventa derelinquitur.

quae cum ita sint lege tua diligentissime discussa atque inspecta nemo est quin una cum omnibus mentis compotibus alta voce testetur, declaret, exclamat: non! numquam! non possumus in abyssum abicere quod tot saeculis catholicae vitae cardinem esse iudicatum est! *quod enim prioribus saeculis sanctum erat, nobis etiam sanctum atque magnum erit* (Benedictus XVI, *ep. ad Summorum pontificum*). vade retro, o Francisce, si vis S. Petro dignus esse. nos, non vilissima populi tui pars, ecclesiae amantissimi et fidei catholicae devotissimi semper missam Tridentinam amabimus, reverebimur, celebrabimus sicut semper erat et erit ecclesiae firma voluntas. quare revocamus te patrem nostrum qui filiorum suorum ecclesiae amorem crudeliter abiecisti, ad unitatem ecclesiasticam restituendam.

ad hanc rem perpetrandam nemini dubium esse potest quin antiquiori missae usui iura olim a Benedicto concessa non solum iterum plenissime reddenda sint, sed etiam ita fovenda ut antiquus missae ritus in singulis parochiis, monasteriis, societatibus ecclesiasticis et ubicumque terrarum floreat ad traditionis custodiam, ad animorum fidelium solacium, ad totius ecclesiae salutem. conferemus ergo vires nostras semper et ubique supplicantes Deo ut donet tibi, sancte pater, Spiritus sancti septiformem gratiam qua instructus reddas nobis quo non aliud in huius mundi deserto magis desideramus ut glorificetur nomen Domini nostri in saecula saeculorum.

Vale!

Datum Monasterii Westfalorum a.d. XVII Kal. Aug. A. D. MMXXII